Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

facies mirabilia aut medici suscitabunt et confitebuntur tibi. Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam et veritatem tuam in perditione. Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua et iustitia tua in terra oblivionis. Et ego ad te domine clamavi et mane oratio mea praeveniet te. Ut quid domine repellis orationem meam auferis faciem tuam a me. Pauper sum ego et in laboribus a iuventute mea exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus. In me transierunt irae tuae et terrores tui conturbaverunt me. Circumdederunt me sicut aqua tota die circumdederunt me simul. Elongasti a me amicum et proximum et notos meos a miseria.

Misericordias domini in aeternum cantabo in generatione et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. Quoniam dixisti in aeternum misericordia edificabitur in caelis praparabitur veritas tua in eis. Disposui testamentum electis meis iuravi David servo meo usque in aeternum praparabo semen tuum. Et edificabo in generatione et generationem sedem tuam. Confitebuntur caeli mirabilia tua et veritatem tuam in ecclesia sanctorum. Quoniam quis in nubibus aequabitur domino similis erit deo in filiis dei. Deus qui glorificatur in consilio sanctorum magnus et terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt. Domine deus virtutum quis similis tibi potens es domine et veritas tua in circuitu tuo. Tu dominaris potestati maris motum autem fluctuum eius tu mitigas. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum in brachio virtutis tuae dispersisti inimicos tuos. Tui sunt caeli et tua est terra orbem terrae et fortitudinem eius tu fundasti aquilonem et mare tu creasti. Thabor et hermon in nomine tuo exultabunt tuum brachium cum potentia. Firmetur manus tua et exaltetur dextera tua iustitia et iudicium praparatio sedis tuae. Misericordia et veritas praecedent faciem tuam. Beatus populus qui scit iubilationem. Domine in lumine vultus tui ambulabunt et in nomine tuo exultabunt tota die et iustitia tua exaltabuntur. Quia gloria virtutis eorum tu es et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Quia domini est assumptio nostra et sancti israel regis nostri. Tunc locutus es in visione sanctis tuis et dixisti posui adiutorium in potente et exaltavi electum de plebe mea. Inveni David servum meum oleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei et brachium meum confirmabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo et filius iniquitatis non apponet nocere eum. Et concidam a facie ipsius inimicos eius et odientes eum in fugam vertam. Et veritas mea et misericordia mea cum ipso et in nomine meo exaltabitur cornu eius. Et ponam in mari manum eius et in flumina dexteram eius. Ipse invocabit me pater meus es tu deus meus et suscipiet